

civilis remedium adhibeat, Episcopo denuntientur iuxta sacros canones puniendi. »

XIII. — « *De scenicis spectaculis et choreis.* Illud quoque hac aetate usu venire dolendum est, ut in theatris ea spectacula exhibeantur, quae non modo pravas inflammant cupiditates, sed etiam religionis mysteria, personas et res sacras in contemptum vocant. Quoniam autem experientia compertum est, ad haec spectacula, ad choreas, tripudia, saltationes, et id genus alia numquam fere conveniri sine multis et quidem gravissimis Dei offensionibus et obscena dicta, inhonestas actiones, et perniciosas ad omnia opera carnis illecebras illis coniunctas esse, fideles omnes hortamur in Domino, ut ab huiusmodi spectaculis abstineant, ne et ipsi ad religionem irridendam, bonosque mores depravandos concurrere videantur. Audiant S. Augustinum: « Deprehenderis enim et detegeris, christiane, quando aliud agis et aliud profiteris; fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuae fidem: modo ingrediens Ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis, cum histrionibus impudice clamare. Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiasti? » (De Symbol. ad Catech. Lib. iv, cap. i, n. 9). Parentes praesertim hortamur, ne ad haec spectacula filios deferant, nec ire permittant; ut eos in omni verecundia nutriant, a vespertinis in primis conventiculis a chorearum frequentatione arceant, ad quae omnia accedentes, si mali ierint, redibunt pessimi; si boni ac impietatis et corruptionis ignari, contagio non carebunt. »

XIV. — « *De fraude et usura.* Nec minus dolore afficimur eo quod tali modo nostris temporibus invasit hominum mentes inextinguibilis illa lucri ac divi-

tiarum sitis, ut iam non per licitas negotiationes et labores, sed et per omne genus contractuum iniquorum opes suas in dies augere non timeant. Hinc sponte suo dimanant latrocinia, fraudes, et execrabile usurae vitium, quo societas misere divexatur, quoque inopum praesertim sanguine pinguescit. »

XV. — « Nostri muneris est tanto malo pro posse nostro, nos opponere, eo magis, quum ad usuras suppressendas nec civiles nunc leges occurrant, nec sufficient. Quapropter huic officio nobiscum incumbentes parochi, concionatores et confessarii, gravissimis verbis ostendant usurae labem ac vitium utriusque foederis paginis, non minus quam ecclesiasticis sanctionibus damnari (Conc. Lat. III, cap. 25. Clementin. lib. v, tit. v, cap. unic.) gravissimumque semper fuisse hoc facinus inter gentes et odiosum (Catech. Rom. lib. III, cap. 8, 9, 11). Quumque illud varias species induere soleat, ut fideles Christi sanguine in libertatem restitutos, rursus in extremam ruinam praecipites impellat Bened. XIV, Const. *Vix pervenit* 1 Nov. 1745): moneant non tantum illicitas et exitiosas esse usuras manifestas, sed et palliatas, quae multimode exercentur, totque familias, ruricolae praesertim, in profundum miseriae perducunt. »

XVI. — « Insurgant acriter in hoc nefandum crimen, quod iura omnia conculcat; poenas censurasque in usurarios, ab Ecclesia inflictas notas omnibus faciant: quos publice ut usurarios fama praedicat, nec fabricae ecclesiae administrationem umquam gerant, nec in confraternitatibus cooptentur, nec in baptismo conferendo patrini nomen et munus habeant, nec ecclesiastica sepultura, nisi resipiscant, honorentur. »

XVII. — « Monendi sunt etiam illi qui pecuniam

suam frugifere collocare velint, ut diligenter caveant ne cupiditate, omnium malorum radice (I Tim. vi, 10) seducantur; sed potius ab illis, qui doctrina sana et virtute praestant, consilium exposcant (Bened. XIV, Const. cit.): ac imprimis a parcho vel a suo confessario, qui iuxta probatos auctores, et Sacrae Poenitentiariae responsiones ab ipsis allatas prudenter resolvant. »

XVIII. — « *De ludo.* Inter alia, quae dolentes videmus in hac tristissima aetate gravissimum afferre praeiudicium animabus, familiis, societati universae, adnumerandus est ludus, qui non ad relaxandum animum exercetur, sed pecuniae tantum amore, et a nonnullis veluti ars quaedam ad immodica lucra obtinenda, et quidem dolo et fraude. Quot familiae in ruinam deveniunt ex hac ludendi cupidine, qua decipiuntur incauti qui in expansum rete pedes iniiciunt! Quae totius honestatis oblivio, quot blasphemiae, quot rixae, quot suicidia exinde profluunt! Vocem nobiscum attollant parochi adversus hanc effrenatam libidinem; filiosfamilias, immo parentes admoneant, hortentur, ne aures praebeant seductoribus, qui in civitatibus illos attrahunt ad *circulos* specie honestos, ubi in occulto prohibitus exercetur ludus, quique populos, praesertim nundinarum tempore, invadunt ut sua faciant, quae cum sudore vultus sui congregaverunt familiae ad proprias necessitates sublevandas. Fidelium ob oculos ponant damna gravissima et peccata ex ludo immoderato et aleatorio obvenientia: in mentem eorum revocent, experientia compertum esse, neminem fere ex eo divitem fieri, nisi qui ad ludendum provocant ut simplices decipiant. Verba Apostoli omnibus inculcent: Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus; nam qui divites volunt fieri, incidunt in tentationem

et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem » (I Tim. vi, 9); nec non Domini nostri Iesu Christi sententiam: « quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur » (Matth. xvi, 26). »

XIX. — « Alia praeter enumerata vitia, hic plus, ibi minus populum christianum commaculant, uti sunt excessivus in vestibus et supellectili luxus, periuria, fraudes, in quibus extirpandis omni conatu adlaborandum est, ut prima morum puritas et sanctimonia in christianas familias revehatur, et pietatis fructus ubique in Dei gloriam populique salutem et pacem multiplicentur. »

## PARS SECUNDA

---

### SECTIO I.

#### DE HIERARCHIA ECCLESIAE ATQUE REGIMINE

---

##### TITULUS I.

###### DE ROMANO PONTIFICE.

Iturus ad Patrem Unigenitus Dei Filius, non derelicturum esse nos orphanos, promisit, ascendens super omnes coelos visibilem sibi Vicarium delegit, rogans pro eo ut eius non deficeret fides. Ideo cum Oecumenico Concilio Florentino profiteamur Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, docendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse. (Conc. Vat., Sess. IV).

Quamobrem ad Romanam Ecclesiam, ut ait Irenaeus « propter potiozem principalitem necesse esse omnem convenire Ecclesiam confitemur. » (Iren. Lib. III *Contra haereses*, cap. III).

Tenemus itaque cum Sancta Matre Ecclesia et praesertim cum Oecumenico Concilio Vaticano: